Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



reportato, vitæ suæ terminum præsciens, beato fine quievit. In vita et post mortem miraculis clarus. Ejus corpus in Majensi castro in Alpibus sepultum, ad Batava tandem uti propriam sedem, unde vivens exulaverat, honorifice translatum est.

Curiense Proprium hæc habet: Valentinus vitæ sanctitate illustris ab oceano Pataviam, hodie Passavium, advenit: ubi inter primos ejus urbis Pontifices et Tutelares ad hanc usque diem ab incolis religiose colitur. Ut eam gentem, partim idolorum cultui deditam, partim Arianorum hæresi infectam, interveniente Apostolicæ sedis auctoritate fructuosius instrueret, Romanum Pontificem accessit. A quo reversus cum diu multumque strenue laborans, nihil proficeret, acturus, ut ad alium mitteretur populum, circa quem utilius operam suam collocaret, | Verum Valentinus a Pontifice Episcopus creatus, ad eandem gentem remittitur, ut Apostoli exemplo, prædicando ibidem acrius, oportune, importune, animarum lucro instaret, facta tamen ad alias gentes commigrandi potestate, si omnem laborem spes lucri falleret: uti et accidit. Nam impia Patavorum turba, ac pertinaces Arianorum assectæ prium tandem Antistitem, postquam nulli pepercisset labori, e suis finibus exulatum abire compulerunt. Quare vir Dei ad Rætos concessit: apud quos in vico Pingiano fœderis Grisei vetus huic Sancto devotum, epilepsiæ sanandæ maxime celebre sacellum exstat. Horum fines et montana episcopali pariter apud ipsos munere functus, verbum Dei disseminando circuivit. Inde tractum Oenotriensem pertransies (ad quem vicus quidam nomen habet ab Ecclesia, una cum xenodochio in ejusdem honorem erecta) pervenit ad Teriolos. Tandem multis pro Christo peractis laboribus, post ingens animarum lucrum mortis suæ terminum præsciens anno salutis circiter trecentesimo quadragesimo, die 17 Januarii sancte in Domino obiit. Ejus corpus in castello ad Alpes Majas non procul Merania sepultum, temporis successu Pataviam Xcen ad propriam sedem, unde vivens exulaverat, honorifice tumulatum est. De Anachronismo hujus Proprii circa obitum S. Valentini, dictum est supra. Roschmannus Valentin. Ms. p. I, c. ~~28~~ 25, hunc errorem a Curiensibus modo correctum esse testatur: da ich in dem neuen ~~Ritul~~ Rituali Curiensi 1732. 4. Curiæ bey Andreæ

~~hic aliquid deest~~

| denuo Romam perrexit.

| translatum,

| quoad diem obitus